

# PROLEGOMENVM.

## De Ponderibus & Mensuris.

Non habebis in sacco diversa pondera, majus & minus: nec erit in domo tua modius major & minor. Pondus habebis iustum & verum, & modius aequalis & verus erit tibi, ut multo vivas tempore, &c. Deuteron. Cap. 25. vers. 13. 14. 15.



Mnis Iustitia est in pondere & mensura: sed sine iustitia ipse mundus non potest subsistere: ergo nec sine pondere & mensura, in quibus universa constituit Omnipotens quia

..... *Pondus rebus Natura locavit*

*Corporeis, Elementa suum regit omnia pondus;*

*Pondere terra manet, vacuus quoque ponderis Æther*

*Indefessa rapit voluentis sidera mundi.*

Q Rhem-  
di, Famo.

Unde non minus in Medica, quàm arte politica mundus pereat necesse est, nisi fiat iustitia. In Logicis quidem *magis* & *minus* non mutant speciem; in Medicis autem, negotiũ hoc eo scrupulosiore circũspectione dignũ, quòd in illo sæpius bis peccare non liceat, & quamvis summum mortis periculum non semper ex eo immineat, saltem si medicaminis pondus heteroclitum fuerit, in abundantiore nota-

A

bili

Lib. 1. de  
Acutis.

bili anxietate laborabit æger, in deficiente, inefficacia calumniabit Medicū, in ambobus optato fine, & spe sua fraudabitur. vterque; nam Galeno nostro teste veracissimo: nihil æquè artem Medicam conjecturalem & infirmam reddit, quàm Medicamentorum quantitas; vnde ex Prisciani consilio

*Pondera Pæoniis veterum memorata libellis*

*Nosce inuat.*

Cumque apud Ægyptios, Arabes, Chaldæos, Græcos & Romanos, imò in ipsa Græcia pondera & mensuræ semper fuerint multum inter se diuersæ, nos, vt aliquid certi statuamus & breuius, non nisi de Romano agemus & Attico; nam cum Orbis iam Romam adoraret, omnes ferè gentes, vt ait

Lib. 1. de  
Compos.  
medic. m.  
per Gen.  
28.

*Galenus*, ipsorum mensuris utebantur.

*Minutum*, pondus Atticum, quod Græcè *Λεπτον* dicitur, omnium est minutissimum, ita quidem, vt Lepta, seu minuta Tria cum dimidio, vnum dumtaxat *Granum* constituant; verum cum vix, ac ne vix quidem, in vsu jam illud sit; quod in Arte litteraria Gramma est, in Arithmetica vnitas, in Mathesi punctus, hoc nos Granum ponemus in Statica, à quo tanquam basi & fundamento, additione continua aucto, reliqua innixa pondera, originem suam trahunt;

*Nam majus nibilest aliud quàm multa minuta.*

Notan.

Notandum tamen hoc Granum firmum, constansque pondus esse debere, non autem æstimari à grano Tritici (vti bene obseruat *Pontus Heuterus*) Siliginis, Auenæ, Hordei, Leguminis, aut alterius generis seminis, vt in rudiore Orbis ætate solebat, cum ars statica adhuc impolita jaceret in cunis, idque hujus ratione, quòd hæc nuspiam terrarum in pondere conueniant, imò ne sibi ipsis quidem singulis annis, neque in Regionibus, neque in agris respondeant: quare nos *Granum* nummulariorum accipimus minutum, quod aurifabri in Germania *een Aes*, Galli *un Grain* vocant, totius Orbis nationibus, ac populis mirâ conspiratione vnum, idemque pondus. Hujus Grana duo *Chalcos* efficiunt, pondus Atticum Latinè *Æreolum* dictum. 4. *Siliquam*. 6. *Semiobolum*. 12. *Obolum*. Quot autem Grana requirantur vt *Scrupulum* conficiant, controuertitur acriter inter Artis Staticæ & Medicinæ peritos. Est verò *Scrupulus* pondus Romanum, quod & *Scrupulum*, *scripulum*, *scriptilum*, & *scribilum* dici inuenio. Apud Antiquiores Romanos certum est constitisse ex Granis viginti & quatuor, cui sese conformat *Galenus*, *Mercurialis*, *Fernelius*, *Cordus*, *Gorraeus*, *Gardinius*, aliique ferè omnes, vnico *Nicolao Præposito* excepto, qui tantum 20. grana in scrupulo esse contendit, quem utilitatis ergo recentiores Pharmacopolæ se-

In compar. analog. veter. ac nost. temp. monet.

Lib 4. de  
Method.  
medend.  
de pond.  
& mens.  
cap 6.

cuti sunt ; & ita antiquum pondus imminutum & adulteratum Propolarum avaritia fuisse credibile est, inquit *Fernelius*, qui quàm possunt maximo coëmunt pondere, quæ postea divendant quàm minimo. Ne Pharmacopolæ itaque, quos duleis odor lucri jam nimium occupavit, Medicos, ægrosque in errorem periculo plenum inducant, nos in boni Publici gratiam cedentes, quasi regulâ Lesbiâ utemur, in rationem vertentes abusum, ac ex errore instabili constans, certumque pondus constituentes, *Scrupulum* tantùm Grana 20. continere permittimus, mallentes cum aliis sapienter errare, quàm capitosè videri soli sapere. *Scrupulus* ergo imposterum continebit Grana 20. *Drachma* scrupulos tres. *Uncia* *Drachmas* 8. *Libra* uncias 12.

Quandoquidem vascula, quibus liquida mensurant, satis justa, & exacta esse constet, nihil de iis occurrit annotatione dignum, uti nec de *Manipulo*, aut *pugillo*, quibus arida quædam metiri solent.

